



DIE IX MAJI

IN FESTO

SANCTI GREGORII CARDINALIS EPISCOPI OSTIENSIS.
CONFESSORIS.

DUPLEX MAJUS.

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis primo loco
præter ea quæ hic propria adnotantur.*

ORATIO.

Deus, qui Beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem contra Locustarum incursiones singulari gratia donare dignatus es, concede propitius, ut qui tua beneficia incessanter poscimus, ejus meritis et intercessione animæ et corpora nostra ab omnibus liberentur adversis, atque substantiæ nostræ a quovis indignationis tuæ flagello permaneant immunes. Per Dominum nostrum.

Lectiones in primo Nocturno FIDELIS SERMO de Communi.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Gregorius ex monacho ordinis Sancti Benedicti Abbas primum monasterii Sanctorum Cosmæ et Damiani ad Mi-

63
cam Auream in Urbe, postmodum Episcopus Ostiensis, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, et Cardinalis à Benedicto Nono Summo Pontifice electus, commissa sibi munera magna cum laude exercuit ob ejus eximias virtutes. Legatus missus à Sancta Sede ad Navarra Regnum, ea tempestate, qua locustæ pene innumeræ arva devastabant, post triduanum jejunium et preces publicas sua benedictione locustas dissipavit. Eximius verbi Dei prece hujus annunciatione, mirisque exemplis Calagurræ primum, deinde aliis in locis corruptissimos populi mores correxit, ac jejunii, eleemosinis, sacrificiis, aliisque publicis precibus, et supplicationibus indignationem divinam placavit.

ñ. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.—ÿ. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei.== Manus enim mea auxiliabitur ei.

LECTIO V.

Tum Sanctus Dominicus Calceatensis ex divino nutu ad eum Lucronii accessit, ipsiusque discipulus efficitur, sub cujus disciplina mirum in modum profecit, illumque usque ad obitum comitatus est. Denique aliquot per annos in Gallæcia commorans, immensis ibi laboribus pro Dei gloria et alibi exantlatis, prophetiæ etiam dono illustris diem obiit extremum in Lucronio die nona Maji anno circiter millesimo quinquagesimo quarto. Corpus ejus non longe ab Ecclesia, ubi nunc colitur sepultum circa annum millesimum ducentimum quinquagesimum septimum mirabiliter inventum, in Basilicam ipsius in honorem Deo dicatam in alta Navarra rupe, prope Mues Diocesis Pampilonensis translatum fuit, ubi hodierna die religiosissime asservatur maximis coruscans miraculis, cujus patrocinium

præcipue experitur in fugandis locustis cum aqua Reliquiarum ejus contactu piata.

ñ. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.—ÿ. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.==Manus.

LECTIO VI.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

Hom. 59 quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi.

Ad sancti ac beatissimi Patris nostri Gregorii, cujus hodie festa celebramus, laudis addidisse aliquid, decerpisse est: siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat Scriptura: Gloria patris est filius sapiens: quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia, et devotione lætatur? in Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit.

ñ. Iste, est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.—ÿ. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.—Ipse intercedat.—Gloria Patri.—Ipse intercedat.

IN TERTIO NOCTURNO

*Lectioes de Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium
HOMO PEREGRE de Communi primo loco.*

IN MISSA

STATUIT de Communi; ORATIO, quæ supra in officio adnotatur

DECRETUM.

PAMPILONEN.

Septimo Idus Maji in Dicecesi Pampilonensi Festum agitur cum officio et missa de Communi Confessoris Pontificis in honorem Sancti Gregorii Cardinalis Episcopi Ostiensis Confessoris. Modo vero cum Rmus. D. Severus Andriani Episcopus Pampilonen. compererat à Sacrorum Rituum Congregatione Anno 1852 die 25 Novembris pro Clero Barbastrensi approbatam fuisse orationem propriam ejusdem Sancti Gregorii, ac deinceps anno 1853 die 10 Februarii pro eodem Clero Barbastrensi admissam fuisse novam lectionem historicam vitam et gesta Sancti Gregorii referentem, à Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX supplicibus votis postulavit, ut ad sibi commussum clerum Pampilonen. Sæcularem et Regularem Dicecesano Kalendario utentem extendere dignaretur enunciatam orationem, et lectionem historicam, quæ tamen lectio historica dividi possit in duas lectiones, quæ inseruire debeant pro quarta, et quinta in secundo Nocturno Officii Sancti Gregorii Episcopi Confessoris. Sanctitas sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuens pro petita extensione, indulgit ut à Clero Pampilonensi Officium Sancti Gregorii Episcopi Confessoris ritu duplici majori persolvatur uti in exemplari hujus Decreto prævio; dummodo Rubricæ servantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 Januarii 1857. = C. EPISCOPUS ALBANEN. = CARD. PATRIZI. = S. R. C. PRÆF. = H. CAPALTI. = S. R. C. SECRETARIUS.

